

non afferi epistolam esse Cardinalis Bona, sed editam sub ejus nomine: Homo scilicet turbulentus ignorare se simulat, præfatione illa magis consuli famæ Eminentissimi authoris.

Reprehendit non minus graviter prohibitionem Operis hæretici *Synodicon Anglicanum*. Ubi (inquit) omnia conferri deberent studia, ut reducerentur ad Ecclesiam, quos unius duritia Pontificis ab ea separavit, omnia contra sunt eorum condemnationibus librorum, ut animi à Romana amplius communione avertantur.

Theses defensas in Sorbona verisimiliter est prohiberi ad inurendam maculam Theologicæ facultati Romanis adeo terribili, atque eorum opposita novitati.

Ita se prodit ubique animus Quesnellii schismaticus, omnem captans avidè, & fingens occasionem, concitandi contra regimen Ecclesiæ Catholicos æquè ac Hæreticos.

Istud scilicet Quesnello non est scindere unitatem; uti neque est erigere se contra auctoritatem, quod is audet scribere Pontifici adversus Sacram Indicis Congregationem, ratione prohibitarum, ut supra retuli, *Dissertationum in Opera Leonis Magni*. Ita contra sententiam invehitur scripto, quod in *Causa Quesnelliana* producit pag. 338.

„ Tali judicio, Beatissime Pater, damnatæ sunt lucubrationes nostræ, quo nec ipsas
„ probatas vellem: cum utrumque ab æquitate pariter abhorreat.... Totus est hic censurarum hujusmodi fructus, ut & hæreticis
„ patrocinentur, & catholicos exarment....
„ Quid mirum si apud omnes Christianas
„ gentes ejusmodi Decretorum in dies minuatur auctoritas, quæ ut in integrum restituitur, prorsus sperandum non est, nisi
„ diligentius Romani Censores ab inferenda
„ Catholicis contumeliâ caveant.

Tum conversâ ad Eminentissimum Barberinum impudentiâ „ Eminentiam (inquit)
„ Vestram suppliciter rogo, ut Sanctissimo Patri suggerere non gravetur, quàm parum conducat Apostolicæ Sedis honori,
„ quod in Catholicorum scripta, ijs plerumque Decretis animadvertatur, in quibus
„ nihil ferè apparet eorum, quæ in omnibus rectè constitutis judicijs observare solemne est ac religiosum....

„ Hoc tamen utilitatis habet censura, quod dum omnia promiscuè, nullo habito rerum discrimine, respuit, nihil omnino

„ in libro respuendum contineri, sanioris judicii hominibus non temerè suspicari permittatur....

„ Nihil dignius est æquitate, prudentiâ, & magnitudine animi Eminentissimæ Vestræ, quàm ut ejus ope; & curâ Romana delictis judiciis melius in posterum diligentius ferantur „ Ad quod Eminentissimus Barberinus, ut cernitur in *Causa Quesnelliana* pag. 339. respondit die 10. Februarii 1677. quod *inconsutilem Christi tunicam scriptis suis discinderet.*

Alia ipsius Quesnelli ad Pontificem epistola refertur eadem pag. quâ Sedi Apostolicæ sic insultat: Tali judicio damnatas esse lucubrationes nostras in laudem potius vertitur, quàm in contumeliâ. Et multò superius: Nullus certè apud nos est qui verique studiosus, qui non molestissimè tulerit, talia Apostolicæ Sedis nomine, & auctoritate Decreta emitti, quibus tam parum Sanctæ illius Sedis honori, & existimationi consultum fuerit.

In alio scripto quod in eadem *Causa* seu Processu juridico exhibetur pag. 333. Cardinales, & Judices suos alloquens: Nec mirum (inquit) Censores meos non cogitasse cogitationes pacis, qui viam pacis non cognoscebant, quique jam tunc librum meum censorio gladio confixerant.... interea dum sagittant in occulto librum immaculatum.... Ibidem: En quos Theologos, quos Urbs habet ista Magistros: En quos patimur, patiunturque nobiscum universi Christiani Orbis eruditi, Censores, qui videlicet librorum, quos tam audacter proscribunt, ne primam quidem paginam, vel de longè aspexerunt.

Si istud iterum penès Quesnellum sit cum mansuetudine, & humilitate, siue ut loquitur, in pace perpeti censuras, minime erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem, nescio quæ tandem petulantissimi scriptoris appellari unquam valeat contra Censores suos, & Judices protervia.

Haftenus primum Quesnellianæ impatientiæ in tolerandis Ecclesiæ censuris specimen. Nihil autem moderationis attulit ætas provectior; Sed novis perpetuò auxit petulantiam incrementis; quia tamen temporis utcunque ordinem sequimur, subintrat Eugenius de Gelder pro impudentiâ, & temeritatis palmâ cum primis Janfenianæ sectæ proceribus, imò Principibus decertans.